



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Vers. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

corporis gloriosi societate refulgebant, Totus igitur splendidus erat.

Claraz, in luce refulgens,

Os humerosq; Deo simili.

§. 4. Quod noster legit, & vertit: sicut nix, id quædam græca habent, *ὡς χιών*, consentiunt veteres interpretes. Hilar. Augustin. & fere recentiores omnes: quamvis Origen. homil. 3. legat *ὡς, lux*. Veruntamen videtur potius legendum: ut nix. Huic enim convenit verbum *λευκόν* quod album significat. Et Lucas habet *λευκὸν ἐξασπιδίων*, album scintillans seu fulgurans. Marcus fuisse vestimenta *ἐκασπιδίων* splendens *λευκὰ* *ὡς χιών*, alba valde sicut nix, & addit, qualia non potest fullo super terram candida facere. Cum autem Marcus vestigia Matthæi quasi compendiatore legere soleat, probabile est, eum sic apud Matthæum legisse: Syrus tamen habet *נִיחָרָא* *nihara*, lux. Quod Zwinglius hyperbolicè hic comminiscitur, falsum est: niue enim candidior erat vestis, ideoque fulgens. Cum vero Olaus Magnus, quoddam animal niue candidius esse referat, eoque solo in niue capi, quod candore suo, qui niuem superat, prodatur, cur non maior candor in veste Christi maiestatem suam ostendit potuit exhiberi? Quin ipse Zwinglius sibi contradicit: cum ait maiorem fuisse splendorem quam possit humanâ mente comprehendere, at niuis splendorem, & oculis & mente comprehendimus. Non ego est hyperbole, quando niui comparatur. Forte Zwinglius quemadmodum apud poetas legerat, sincera pectora. Et non calcata candidiora niue, per hyperbolicè dicta, ita in Christi maiestate etiam nihil maius suspicatus est. Nam in anxii laboribus, quos perfidia causa subiit, Tiguri, Homerum, Aristotelem, Demosthenem, Platonem Thucydem, Lucian. Theocritum, Hesiodum, Aristophanem, reliquosque perstravit, ut auctor est Oswaldus Myconius, Epist. ad Agathum Beronensem. Lucæ igitur & Marco credamus non esse hyperbolicè, sed fuisse ita candida. Ut fullo super terram tam candida facere non potuerit, niuem æquasse, imo & superasse.

Vestes ut
nix.

Non est hyperbole.

QVÆSTIO II.

An Christi diuinitatem viderint?

§. 1. Ita sentiunt plerique veterum, & recentiorum. Et Prudentius

Illustre quiddam cernimus

Quod nesciat finem pati

Sublime, celsum, interminum

Antiquius celo, & chao.

Non visa est diuinitas. Hæc diuinitati soli conueniunt. Nec videtur de signo gloriæ diuinæ satis explicari, quod enim addit.

Illic licebit visere

Signum perennis gloriæ.

Nam lux faciei, & candor vestimentorum, typus erat æternæ gloriæ, non tamen quod nesciret finem pati, interminum, antiquius celo & chao. Verum quicquid senserit Prudentius, & nonnulli viri sane non indocti, communis sententia vera est: neminem viuentem diuinam essentiam vnquam esse intutum, qua de re in Exodo disputauit.

VERSUS 3.

Et ecce appaerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes.

QVÆSTIO I.

An Moyses & Elias verè, & cur adfuerint?

§. 1. Strabus imagines adfuisse. S. Thomas, Eliam vero, Moles adscititio corpore adfuisse, animis vtrumque. Et ante vtrumque Tertullianus, Moles in imagine nondum recepta carnis, Eliam in veritate nondum defunctæ apparuisse. Cæterique autores vtrumque verè adfuisse integre corpore animaque. Et Moles quidem ante 1500. annos obierat. Elias autem ante 1100. raptus fuerat. Nunc Domino sistuntur, ut quæ vaticinati erant de Christo, de illo presentibus Apostolis differerent. Ne vero dubitari posset, veniunt cum magna maiestate & gloria.

§. 2. Cur illos suæ gloriæ testes adhibere voluerit, cur omnes Prophetas & Patriarchas vocare potuerit, nobis incertum est. Causæ reddi multæ possunt & passim traduntur. Moles legem dederat, lex ad Christum ducebat, iam olim vaticinatus erat, prophetam venturum, eumque audiri iusserat, nunc præsens cum Apostolis indicat. Eduxit: at populum ex Aegypto, signa & portenta fecerat, Deo facie ad faciem loquebatur, hominum mansuetissimus erat, typus itaq; Christi nobilissimus, præsertim cum Republicam Hebræorum institueret, sicut Christus Christianorum. Non paucior s rationes de Elia ex eius gestis, zelo, raptu adduci possent, de quibus varii Patres multa & præclara scripserunt.

§. 3. Nostram fidem admirabiliter roborat, cum videmus à Prophetis non modo prædicta quæ credimus, sed eos à Deo missos, & suam vitam restitutum, ut suum Domino obsequium exhiberent, testimonium darent. Tertullian. lib. 4. contra Marcionem, cap. 27. Eliam vocat noui Testamenti consummatorem, sed quia locus insignis est, totum adiungam. Nam & hoc rei maxime erubescere debuit, quod illum cum Moyse & Helia feceru montis conspici pateris, quorum destructor adueniat. Hoc scilicet intelligi voluit, vox illa de celo: Hic est Filius meus dilectus, hunc audite: id est, non Moysen iam & Heliam. Ergo sufficiebat vox sola sine ostensione Moysi & Helia. Desinendo enim quem audirent, quosunque alios retinisset audiri. Aut nunquid Eliam & Hieremiam, ceterosque quos non ostendit, permittit audiri, si retinuit quos ostendit? Nunc est præsentia illorum fuit necessaria, non vtique in colloquio ostenderentur, quod familiaritatis indicium est: nec in conspectu charitatis, quod dignationis & gratiæ exemplum est: sed & in sordibus aliquibus, quod destructionis argumentum est, imo in tenebris creatorum quibus discutiendus erat missus, longe etiam discreti à claritate Christi, qui voces & literas ipsorum ab Euangelio suo erat separaturus, sic non alienos demonstrat illos, dum secum habet, sic relinquendos docet, qui sibi iungit, sic destruit, quos de radiis suis extruit. Quid sceret Christus ipsorum? Credo secundum peruersitatem, tales eos reuelasset, quales Christus Marcionem debuisset: aut quoscunque alios secum, quam Prophetas suos, sed quid tam Christus creatoris, quam secum ostendere predicatorum fuit, cum illis videri, quibus in reuelationibus erat visus: cum illis loqui, qui eum fuerant locuti: cum eis gloriam suam communicare, à quibus Dominus gloria nuncupabatur: cum principalibus suis, quorum alter populi informator aliquando, alter reformator quandoque: alter initiator veteris Testamenti, alter consummator noui.

§. 4. Venerant ut serui ad Dominum, cum ipso familiariter agerent, tabernacula illis facere cogitabat Petrus, ut circa Christi tabernaculum habitantes illi seruirent.

§. 5. Loquentes cum Christo apparuerunt materia apud Lucam est, excessus quem completurus erat in Ierusalem.

VERSUS 5.

Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbravit eos: Et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.

QVÆSTIO I.

Quod Testimonium Patris cœlestis?

§. 1. **T**estimonium duorum prophetarum audierant, adiungitur testimonium æterni Patris. Cuius maiestatem d. scribit: *nubes enim lucida obumbravit eos*, & in ea Moyses & Elias recesserunt. Deus autem Moysi olim in nube apparuit, & Elias nube ignea, seu cœli igneo abreptus est. Ponit autem Deus *nubem asensum suum qui ambulat super pennas ventorum*. Nube illis gloriæ conspectum eripit, ut admoneat nondum capaces arcanorum Dei, ad huc longum & ærumnosum superesse vitæ cursum, donec beatitudinis portum attingant.

§. 2. *Filium suum dilectum* appellat, quemadmodum explicatum est c. 3. Interim observandum est, quamdam esse ob circumstantiam personarum inter Christum & Prophetas antithesin, non enim illi filii dilecti sed servi in domo patris familias fideles. Quin etiam testimonio Patris laudatur Petri confessio qui dixerat. *Tu es filius Dei vivi*. Hoc Deus viuis propria voce coram testibus maximis Moysi & Elia testatum voluit, ut cœlesti præconio constaret; Petrum non ex carne & sanguine, sed Patris cœlestis revelatione locutum.

§. 3. Calvinus lib. 4. c. 8. §. 1. Christum ita unicum magnum esse contendit, ut solus audiendus sit. atque Christus solum nos verbo ab omnium hominum doctrinis abduci. *lus audient*. Respondeo. Audiendum ita Christum, ut tamen *audiamus*.

etiam eos audiamus, de quibus ipse dixit: *qui vos audierunt me audierunt*. Nec audire duntaxat iubet, sed etiam obedire. Quod si de verbis Christi, prophetarum, aut Apostolorum dubitatio incidat, aut controuersiam moueant infideles, audiendi illi sunt, quos Ecclesiæ suæ præpositos, & doctores constituit. alludit autem ad Deut. 18. 15.

§. 4. Timuerunt autem intrantibus illis in nubem. Syrus: Timuerunt cum viderent Moysen & Eliam qui intrabant in nubem. an Christus, Moyses, Elias intrarent in nubem, an vero post discessum prophetarum Christus & ipsi Apostoli, an solus Moyses & Elias, *iubet Christus* controuersum est. Quidam putant Christum & Apostolos intrasse in nubem post discessum prophetarum. Ex Luca constat, cum discederent Moyses & Elias Petrum dixisse. *Faciamus tria tabernacula, & hac eo loquente nubem obumbrasse eos*. Cum autem in nubem intrarent illi *exavos* valde timuisse, itaque Christus & Apostoli circumdati sunt nube, credo & Prophetas, qui nondum longe abierant, eadem nube comprehensos, ideo post auditam vocem solum Iesum vidisse dicuntur, iam enim cum nube euenerant Moyses & Elias, alioqui adhuc videri abeuntes potuissent. Causa autem timoris erat, quod se nube lucida & quasi ignea circumdatos viderent, ideo in facies corruunt, ut nihil videant, nec nisi tangente, & loquente Christo resurgunt. maxime vero horuisse videntur vocem, quæ audita est, instar tonitruum, ut putat S. Ephrem: Certe ad vocis sonum confternati videntur.

§. 5. Bullingerus Petrum omnium rerum terrenarum oblitum ait. Similem fore beatorum in cœlo statum. absterge enim lacrymas ab oculis eorum, nullis cura mortalibus aut mortalium obcurbari. Hoc August. lib. de cura pro mortuis gerenda, c. 13. docet.

Be 4

Respon-

lem, id factum audientibus discipulis & Moysen Eliamque cognoscentibus. Christus enim & Prophetæ declarant, qui nam essent. Apostoli orante Christo forte dormierunt, deinde gloria illa obstupefacti recreati sunt & terri. Communicatio sermonis signum est, inter eos magni amoris, consensus, & cuiusdam familiaritatis. Elias nihil scripsit, ceterorum fere magnorum prophetarum scripta de Christo testantur, ipse suo more veniens præsentem, præsens loquitur, in multis olim Domini typus. ita *ὁ ἀληθῆς*, hoc est, familiariter inter se colloquuntur, ut dixi.

§. 6. Solida ratio videtur. ut veterem legem eiusque præcones approbaret. ex quibus vnus fuit legislator ministerio, alter zelator insignis. Moysen & Eliam igitur præcipue produxit, ut viderent cum Moysi & Elia optime conuenire, nec se legem solvere, ut qui legem motu excitatum sibi fisti iusserit, & qui zelum Elia pro Dei gloria probaret. Vide alias causas, quas Chrys. adducit. Tertull. l. de Monogamia hoc adducit. cap. 8. ut secundas nuptias damnet, quia Spondonem & Monogamum apparere voluit, sed errat, dum omnia ad opinionem hærescos suæ firmandam detorquet.

VERSUS 4.

Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine bonum est nos hic esse: si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyse vnum, & Elia vnum.

QVÆSTIO I.

Cur ad Tabernacula faciendi Petrus se offert?

§. 1. **D**ilectine gloriæ dominicæ abreptus, omnium rerum securus, & regni & sociorum manere duntaxat animus est. *bonum, decorum pulchrum est, nos manere*, inquit. Mat. c. 9. 6. Luc. 6. 33. nec ille ait, quid loqueretur. Et reuera in gloria illa nihil tabernaculis opus erat. Apud Marcum est, *quæritis tabernacula, & faciamus*; alia exemplaria *πῶς ὁμοιωσάμεθα*. In Regis est, aliusque *ἡ γὰρ, si vis*, quod alia omittunt, legit tamen vetus interpres, & si coniunctionem omisit. Syrus, *Et si vis*. Dicebat autem ista, cum discederet à Christo, cum ipse euigilasset. Magnopere veritus ne tanto privarentur bono, qui Christum gloriam spectando fruebantur.

§. 2. Calvinus Petrum stultè acular, quod stulte æquare Domino seruos Moysen & Eliam.

Respondeo. Non hoc illi imponunt Euangelistæ, sed tria Tabernacula facere voluit, prima solum Domino, duo deinde seruis honoratis. Nec enim Centuriones Imperatori æquantur, etsi illi quoque sua habeant tabernacula. Nec Eliam æquare Christo potuit, qui iam ante Christum non Eliam sed filium Dei vivi confessus erat: eaq; confessione beatus est iudicatus. Et profecto ad sui suorumque confusionem hæc Calvinus pronuntiat, si enim in confessione illa nobili fidem veram habuit verissimam, à cœlesti Patre reuelatam, nunc vero Moysen & Eliam Domino æquauit, fidem amisit. Nam homines Deo stulte æquare perfidia est, blasphemiam est. Vbi igitur fides Calviniano rum indelebilis refideret, si in Apostolo defecit? *Hoc quoque*, inquit, *peruersum fuit, Moysen & Eliam collegas fingere filio Dei: quasi non omnes in ordinem cogi necesse sit, & solus ipse eminere*. Si hæc Petrus audisset, toto animo & corpore clamaret, non se collegas, sed seruos, amicos Christi, non collegas nouisse.

Dilectine

Calvinus